

Bibliothèque numérique

medic@

**Thuillier, Charles - candidat / Le
Conte, René - président. - An Cervisia,
Potus saluberrimus ?**

1695.

Paris

Cote : ms 80 n°1479

Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1779)

Q U Æ S T I O M E D I C A

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris 25. Februarii.

M. RENATO LE CONTE, Doctore Medico, Præfide.

An Cervisia, Potus saluberrimus?

QUOD per domesticas & peregrinas causas, tum solidæ, tum fluidæ corporum viventium substantiæ deperit & detrahatur, id identidem per esculenta & potulenta utcunque reponitur & reficitur: hinc perennis horum necessitas ad vitæ & corporis molis incrementum & conservationem. At cum non omnibus omnia alimenta & potulenta ex æquo convenient; ea seligenda sunt habitâ imprimis ratione animantium, sexûs, ætatis, temporis, soli, regionis, secundæ aut adversæ valetudinis: alia sunt brutorum, alia hominum, infantium, juvenum, mulierum, virorum, sanorum, & ægrorum: alia hyeme, alia æstate, alia in Oriente & Occidente requiruntur, alia in Meridie & Septentrione. Quam paucæ præter Cervisiam invenias potulenta quæ convenient toti ferè animantium generi, omni sexui, ætati, temporis, regioni & quæ in secundâ & adversâ valetudine tutius consumi possint. Medicinæ est, quam merito dixeris salutis humanæ præfidem artem, illa sanis corporibus & ægris ubique promittere & exhibere.

VINUM laudent sapientiores ut pharmacum lætificans cor hominis. Laudent & illud Baccho devoti clientes, quosque juvat violentiâ vini conturbare animam corpore in ipso. Voluptuarium tamen venenum sitim accendit audâ bibendi aviditate & voluptate, & dum limpidissimo suo liquore partes proluendo humectare mollior videtur, doloso ardore succendit insidiosus hostis. Qui vinum non odit, amet, ô Neustria, tua pomacea, nobiles vappas, factitia vina, citius acescentia. Canat verò Pindarus *ἀεὶ καὶ ἐὶς οἶνον*, sed ut primum in Elementis *ἡ ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἐστὶν οὐκ ἔστιν* sicuti aurum pretiosissimum in Metallis. Aqua imbecillissima vix alit, quod norant edaciores hypopotæ; cocta, tumulum lenta feret stomacho. Potent suas lymphas limonibus & saccharo conditas Muhammedi assecit, quos vini abstinencia amis potenter fecerat terrarum dominos. Potent & Sarmatæ & Poloni suum non innoxium *ὁπλισμὸν*; ista habent suas dotes sed suis vitis & damnis quandoque infames; dulcia se in bilem vertunt, obstruuntque visceribus ut plurimum nocent. Si quæ, alieno vitio, Cervisia ferat incommoda, hæc suâ virtute innumeris compensat commodis; degeneres potus, constans & inemendabilis arguit improbitas.

CERVISIA vetustissimum potioris genus, Herodoto *ἴσως ἐκ τοῦ ἀπὸ τοῦ πυρὸς*, Theophrasto *ἴσως ἐκ τοῦ ἀπὸ τοῦ πυρὸς*; Gallorum olim, nunc borealium populorum nectar, ex hordeo & tritico ad hunc modum optima conficitur. Frumentum aquâ maceratum donec intumescat, acervatim sepositum germen emittit, furno exsicandum imponitur, totum, in crassiores farinam molâ redigitur, vel aquâ coquitur, vel fervidâ tantum irrigatur, colatura, lupuli floribus injectis iterum coquitur ad minorem ipsius amaritudinem: hoc decoctum rursus colatum ac tepescit, fervet adjectis Cervisiz fecibus; deinde dolis infusum, ad domesticos usus reconditur. Ut panis ex frumento cibus saluberrimus, sic Cervisia genuinus tritici foetus aut ut ita dicam panis liquidus, potus est saluberrimus, illius & hujus maximè miscibiles & sibi invicem proportionate particule ut potè homogeneæ, facilius unâ in stomacho concoquantur, facilius unâ transcant per ductus chylicos, & juvante figurarum similitudine permeant melius vasâ nutritioni inservientia, & unicuique parti ad quam deferuntur ad incrementum & nutrimentum, assimilantur & uniantur perfectius ob suæ compositionis analogiam. In plagis Septentrionalibus datur infantibus adhuc lactentibus puls seu pulmentum ex medullâ panis intritâ & coctâ in Cervisâ, quod salubritate superat nostram puliculam farinaceam & lacteam, deficiente fermento, infantilis ventriculi & intestinorum tortorem. Lenissimum & benignissimum continet Cervisia fermentum, sicuti domitore potentissimum. Ejus spuma filigineo panis nunc & antiquis adjecta, hunc & leviores & salubriorem efficit. Hæc te soletur quod frumenta nostratia, Asiaticis inferiora, ad concoctionem & nutritionem fermenta postulant. Hoc habet Asiaticis frumenti bonitas, ut rejiciat corruptivam fermenti admixtionem, & extemporaneum & boni succi suppediet panem.

NON omnis fert omnia tellus, non ubique æqualis bonitatis Cervisia. Differentia major à frumentis, aëre, locis, & aquis, inter exoticas, optima Bruxellensis, Harlemensis; crassior & gravior Amstelodamensis, gratissima Londinensis. Verum ne peregrinis invidas, domesticis contentus, quas ames habet tua Luretia Cervisias, Nymphae patriæ, arti, Solo, & optimis Franciæ frugibus obsecundantes, largiter effundunt latices poculis aptos cerealibus. Elige quæ conficiuntur ad superiores & proximas Sequanæ ripas, deinde quæ in suburbio sancti Germani decliviori immense urbis loco, saturiente in potis aquâ ex alluente Sequanâ, his bonitate proxima quæ ad sanum divi Antonii, deteriora & gravissima quæ in suburbis sancti Victoris & Marcelli ex turbulento nempe rivo, illac præterfluente, & ex petrosis, frigidissimis & durissimis puteorum fontibus parata. Caveas ne his poculis immisceantur semina Coriandri, micæ enim vitiorum & fraudum solertis inventum, quemadmodum Cervisia magis & pejus inebriaret. Infundatur Homini fragrantis semen, Moscatelli vini saporem & odorem suaviter referet cerealis ille liquor: huic acescenti injecta creta medetur.

* La Bièvre.

MULTIPLEX Cervisia ex multiplici coctionis gradu, ex majori aut minori frugum copiâ, sed ea melior censenda, quæ tenuior aut secundaria, confecta vel Martio & Aprili mensibus, vel temperato cælo, non acescens, nec recentior, nec venustior. Illam ægris & febricitantibus securus propina, pituita vulgaris & joscularum vice. Pituita vel lentore alvum astringit, vel suo pondere & humiditate movet sine more, laxâ ventriculi compage, intestina & venæ omnes accipiunt inimicum imbrem, nimique fatiscunt, hinc hydrops, hinc contaminatio morbi. Juscula ex dissolutis partibus carniû sulphureis constata, febrilia incendia non minuunt sed augent, non restingunt sed accendunt, ægros non tam nutriunt quam ledunt. Mirare quos homines ferant & alunt Septentrionales plagæ omnes penè abstemie, proceros, robustos, oris formâ & colore eximios, integrâ corporis constitutione præstantes ultra vires sortemque senectæ, nervorum & articularum viris, calculo, renum & vesicæ tormentis rariis obnoxios. Cervisia temperat viscerum æstus; obstru-ctos partium meatus aperit, alvum & urinam leniter citat, nimis calida & sicca corpora emendat suâ humiditate, nimis humida & frigida amico & leni suo calore fovet, nimis mollia benigno lupuli amarore firmat & durat; firmior, extenuata magis ac magis corroborat & nutrit.

Ergo Cervisia, Potus saluberrimus.

Proponebat Parisiis CAROLUS THUILLIER, Aurelius, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1693.